





C 2

1741, 28.

DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS  
DE  
**ACQVAESTV VXORVM**

QYAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CONSEQUENDI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SISTIT

M. CHRISTIANVS GOTTOFREDVS  
**WEIDLICHIVS**  
ADV. IMMATR. SAXON. ET GERAV.

DIE XIV. SEPT. C<sup>15</sup> CCCXL.

LIPSIAE, LITTERIS GEORGII SAALBACHIL.

*bonis constantia malitia acquisitio*

69

DIESER TITEL AUF EINER DIAKONIA

# ACGAEAE STA XYORVM

ILLUSTRISSIMATORVM ORDINE

CONVENTU

— PRO LICENTIA —

SALVATORIS IN UTRECHTAE IARD MONASTERI

RETE CONVENTUARUM

LAUREATE ETUDIANTVM DISCIPULICVM

— 2 —

II. CHRISTIANVS GOTTSTEDAS

WEDDINGENS

— 3 —  
AD MATERIAZ AVON ET CERVA

— 4 —  
AD MATERIAZ AVON ET CERVA

— 5 —  
AD MATERIAZ AVON ET CERVA

— 6 —  
AD MATERIAZ AVON ET CERVA

— 7 —  
AD MATERIAZ AVON ET CERVA

VIRO  
MAGNIFICO ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI GEORGIO  
DOEHLERO

I.V.D. IN REGIMINE CELSIS SIMORVM  
COMITVM RVTHENORVM EX LINEA  
IVNIORE, COMITVM AC DOMINORVM  
DE PLAVENT, GRAITZ, CRANICHELD, GERA,  
SCHLAITZ ET LORENSTEIN ETC. CANCEL-  
LARIO UT ET CONSISTORII PRAESIDI  
GRAVISSIMO, GYMNAS. RVTHEN.  
INSPECTORI

PATRONO SVO PIA MENTE  
COLEND

AIR  
WAGNICO VTOAE EXCELLENTI  
VITAM LONGAEVAM  
CORPORIS ANIMIQVE VIRES INCOLVMES  
ARDENTISSIMO MENTIS AFFECTV  
ADPRECATVS  
COMMENTATIONEM HANC ACADEMICAM  
SACRAM CVPIT  
INSIMVLQVE  
PIETATIS SVAE ATQVE REVERENTIAE  
TESTEM  
PONIT  
PATROCINIO EIVS AC FAVORI  
SE COMMENDANS  
AVCTOR.



§. I.

**Q**uod si Iure Ciuiili bonorum inter coniuges introducta esset communio; minus necesse haberemus sollicite disquirere, quidnam circa acquaestus dominium sit afferendum: satis clara enim atque perspicua casuum hic obuenientium a legislatore facta fuisset decisio: hac autem deficiente 1) aliud fundamentum adhibendum esse iure meritoque existimavi, quo principii loco vti possimus in diiudicazione quaestioonis, cuinam cedat vxorum acquaestus in terris, vbi Iure Speciali bonorum communio inter coniuges haut est introducta, atque adeo Ius obtinet Ci-vile. Doctoribus iuris euolutis magnum dissentientium numerum inueni 2); quorum quidam omnem vxoris acquaestum marito adscribunt, quidam vero minus. Priorum opinio mihi dura nimis videbatur, atque magis conueniens antiquis iuris principiis, vbi vxoris dependentia (quam dicunt) a marito illimitata per dominium Quiritarium 3); quam modernis, quae societatem coniugalem Iuri naturali aequiparauerunt 4), id quod vxoris obligationem minime extendit vltra coniugii finem, qui simul imperium mariti in vxorem certis cir-

cumscribit limitibus; hinc actiones, quibus nulla cum mediis ad isthunc finem tendentibus intercedit relatio, liberae manent ab imperio mariti, et ab arbitrio potius dependent vxoris; minime autem mariti. Hac ratione commotus distinctionem quorundam inter operas obsequiales et minus obsequiales iuri conuenientem esse iudicauit, ita ut pleraque circa aquaestum vxoris oboviendae questiones iuxta hanc normam forent diuidiandae. Huius distinctionis vberiorem explicationem in seqq. suppeditaui, explicato prius vocis significatu.

1) l. 1 §. 15 ff. de SConl. Silan.

2) Vid. BARTH. Diff. 393.

3) HEIN. Antiqu. L. I. T. X.

4) l. 14 §. 2 ff. de Rit. Nupt. l. 1 §. 3 ff. de Just. et Jur.

### §. II.

Quaestus nomine omne venit lucrum ex titulo quodam onerofo descendens 1).

1) l. 7, 8 ff. pro Soc,

### §. III.

Vxoris Acquaestus omne sub se comprehendit lucrum in vxorem ex titulo onerofo redundans per (§. 2); pro quo cum praefatio operarum habenda sit, huius vocis significatus lucrum ex actionibus proueniens minime excludit. Actiones autem nostrae sunt vel obsequiales vel minus 1). Hinc lucrum tam ex actionibus obsequialibus, quam minus obsequialibus, pro aquaestu repudandum venit 2).

1) BERG. oecon. Jur. L. I. Tit. 3 §. 8.

2) BERL. decis. 224 n. 41, 43.

### §. IV.

Bona, quae succeſſione ab intestato nobis obueniunt, ex cauſa lucrativa poſſidemus 1), et hinc minime ex titulo onerofo. Hinc apparet, quod bona, quae vxor beneficio ſucceſ-

*successionis ab intestato habet, ipsius aquaeſtui minime ſint annumeranda per §. 2. 2).*

- 1) l. unic. C. de Imp. lucr. descr.
- 2) Suppl. in WEHN. Obs. Pract. Voc. Errungenschafft.

### §. V.

Bona acquifita ex teſtamento vt heredes ex teſtatoris libe-  
ralitate habemus, et hinc ex cauſa lucratiuā 1). E. ex his et §.  
2) conſtat, ea aquaeſtus complexui nullo iure adſcribi poſſe 2).

- 1) l. d. C.
- 2) WEHN. alleg. loc.

### §. VI.

Bona, quae legati vel fideicommissi iure ad vxorem de-  
labuntur, minime ex titulo oneroſo descendunt 1), et ex  
hac ratione quoque ea ad aquaeſtum non referenda ſunt 2).

- 1) OLDEND. act. Claff. 3 Intr. n. 3.
- 2) l. 9 ff. pr. Soc.

### §. VII.

Cum notiſſimum ſit, quod omnis ſuccēſſio ſit vel a te-  
ſtato vel ab intestato 1) vi §§. 4, 5, 6 aſterimus: *Bona ex ſuc-  
ceſſione prouenientia buc non ſpectare 2).*

- 1) pr. Inst. de hered. qu. ab Int.
- 2) BEIS. Thes. Pract. voc. Rüngēn und Gewonnen.

### §. VIII.

Conſtat, vt ego equidem puto, quod bona donatione  
nobis obuenientia, ex liberalitate donatoris proficiſcan-  
tur 1), et hinc donatio pro cauſa lucratiuā erit habenda.  
*Bona igitur vxori donata non ſub eius aquaeſtu comprehenſa*  
§. 2. 2).

- 1) pr. ff. de Don.
- 2) l. 9 ff. pr. Soc.

### §. IX.

Vxoris actiones ab imperio mariti dependentes hic exi-  
gendi ius habet, et conſequenter eas coniux marito debet;  
actionum autem eiusmodi emolumenta marito cedere,  
nullus

nullus dubitabit 1). Hinc prona fluit consequentia:  
Quod aquaeſtus vxoris actionum ab imperio mariti dependentium marito relinquendus sit 2).

1) l. 3, 4 ff. de Op. Serv.

2) pr. Inst. per qu. perf. cuique acqu.

### §. X.

Mulier intuitu actionum non dependentium ab imperio mariti, sui iuris est nulloque iuris vinculo illi tenetur, et proinde actiones eiusmodi ab ipsius dependent arbitrio, atque maritus circa eas nullum ius allegare valet. Propter deficiens igitur ius, aquaſtum vxoris ex actionibus ipsius liberis prouenientem sibi minime vindicare poterit maritus 1).

Propositiones hisce duobus §§. contentas instar axiomatum fine probatione affumere potuiffem, cum earum veritas ad confusas imperii atque libertatis notiones attendo obvia fit; libuit tamen nihilominus earum allegare rationes, quia pro principiis eas in seqq. adhibituri sumus in decidendis dominii quaeflionibus circa vxorum aquaeſtum, quo euidentior affertorum sit veritas.

1) §. 5 Inst. per qu. perf. cuique acqu.

### §. XI.

Vi §§. 9, 10 patet: quod aquaeſtus obsequialium vxoris actionum marito, minus obsequialium autem vxori cedat 1); actiones enim, quas alter vi imperii exigendi ius habet, obsequialium nomine veniunt.

1) BERL. dec. 224 n. 38 seqq. M.E.N. l. 3 pr. 51 n. 32, 33.

### §. XII.

Naturam matrimonii ad examen reuocantes atque eam ita diuidicantes, vt moderna iuris principia id requirunt, inuenimus, eam ita se habere, vt consensus ad eius sufficiat perfectionem 1), eaque est ratio, cur illud in contractuum consensualium numerum retulerint, eundemque cum his illi adscripſerint esse 2), qui in eo consistit,

vt

vt obligationum atque iurium termini ex consensu sint determinandi, hicque contractui det legem 3). Obligatio itaque vxoris ultra id, in quod sub initium matrimonii consensit, minime erit extendenda, id quod est educatio sibolis (procreationem praetermittimus, quia fini nostro nil inseruit) vt ex matrimonio clarum est notione 4). Nunc vero constat, quod mariti imperium in exactione huius obligationis ab vxore consistat 5). Hinc patet: *Quod imperium mariti ex matrimonio descendens, ultra sibolis educationem extendi nequeat.*

Ex iis, quae hoc §. in medium protulimus, apparet asserti veritas §. i contenti, societatis nimirum coniugalis, ut apud nos obtinet, naturam coincidere cum principiis Iuris Naturae. Ex principiis enim iuris naturalis apparet, quod sibiiorum iura atque obligationes ex fine sibiiorum paciscentium communis distincte sint explicanda 6); hinc idem in societate coniugali speciali obtinere arbitror, cuius finis praeter procreationem liberiorum, eorum est educationis, et consequenter ad ea sibi iniucem sunt obligati, quae ad eiusmodi finem necessaria sunt 7). Aequo igitur ac iure Ciuii obligatio vxoris ultra coniugii finem haut est extendenda; hinc quoque iis, qui marito in statu naturali imperium in vxorem concedunt, illud in eo ponunt, quod maritus ius habeat determinandi, ea quae intuitu finis huius societatis bona sunt, quaeque minus 8). Distincta limitum imperii mariti in vxorem explicatio a nobis in praesenti suscepta quam maxime necessaria, ex ratione, quia his intellectis simul liquet, quatenus vxor marito acquirat, quatenus autem minus, ut vi §§. 9, 10 facile est intellectu.

1) l. 30 ff. de div. reg. Iur. C. 14 X. de spons.

2) BRVN. Ius Eccl. L. II. c. 16 §. 4. STRYCK ad h. 1.

3) l. 23 ff. d. t. 4) TIT. Ius Priv. L. VI. c. 2 §. 1.

5) LAVT. Comp. dig. I. 22 T. 2. 6) KOEHL. Ius Soc. Spec. I. §. 66.

7) KOEHL. d. l. Spec. II. §. 186, 187 8) ILL. WOLFF. Pol. §. 52 et 53.

## §. XIII.

Praeter societatem coniugalem alia adhuc est, in qua vxor cum marito degit, familia nimirum, quae societas quaedam est composita ex coniugali, paterna, atque herili 1), quae ex harum simplicium connexione oritur, qui nexus in eo consistit, ut vna alterius promotionem adiuvet 2), et exinde singuli hi fines ad existentiam quam felicissime perducantur, bonumque familiae commune obtineatur. Huius societatis caput est maritus, atque paternfamilias dicitur, ex ratione, quia simplicium, ex quibus haec composita suboritur, praecipua est persona, ut constat 3). Ex hisce videmus, potestati, quae in simplicibus adest, accedere facultatem, eas ita connectendi, ut vna alteri sit adiumento. Imperium autem simplicium educationem liberorum §. 12 4) atque praestationem operarum promisatarum 5) minime excedit. Hinc imperium patrifamilias in eo consistit: ut facultate gaudeat, relationem supra allegamat plenius determinandi 6), et binc quoque matrifamilias ea praescribendi, quae bonum familiae commune ab ea exigit 7).

Non equidem nego, quod per pacta dotalia adiecta vxor se arctiori vinculo obligare possit, sed ea ad nos in praesenti non pertinent, ista solummodo considerantes, ad quae vxor ex fine societatum marito tenetur, in quibus cum eo degit.

1) l. 195 ff. de V. S. §. 2.

2) TIT. Ius Priu. L. VI. c. 14 §. 1.

3) d. I. ff.

4) TIT. all. I. L. VI. c. 10.

5) BARB. Axiom. Voc. Seruitus §. 17, 18.

6) Cel. SCHIERSCHM. El. Iur. I. i t. 7 §. 19.

7) LAVT. Comp. ff. L. I. t. 6.

## §. XIV.

Ex iis, quae §§. 12, 13 adduximus, satis clarum est, actiones vxoris obsequiales in sobolis educatione atque bono fami-

familiae communi terminari: quod si igitur in earum numero quaedam obueniant, quibus aliquid acquiri posset, tunc eiusmodi acquaeſtus ad maritum ſpectabit per §. II. Huc enim, vt quidem puto, referenda ea, quae vxor actionibus fuis muliebribus comparat, quaue necessaria ſunt ad liberorum et familiae bonum ſuſtinendum 1). Intelligitur quoque porro ex hiſce, quod maritus vi imperii ſui ab vxore exigere valeat, vt iſius auspicis rei proſpiciat oeconomiae, eamque in iſius adminiſtratione utilitatem 2).

*Omnis ergo eiusmodi acquaeſtus a marito vindicari poterit.*

Haec omnia nobis ſatis ſuperque perſuadent: quod ea, quae vxor nēndo, texendo et aliis huius generis actionibus ad amictūm necessaria, comparat, conſerre teneatur, citra earum rerum pretii ſolutionem. Idem et obtinebit in caſu lucri prouenientis ex rerum mariti oeconomicarum adminiſtratione; quodſi enim maritus' praedia habeat, que vxor adminiſtravit, ex hacque cura fructus proue- niant, illi erunt mariti,

1) BERL. decif. 224 n. 42.

2) ADR. BEIER de domeſt. Opif. n. 172.

### §. XV.

Attenti ad ea, quae liberorum educatio, vt et bonum familiae commune exigunt, ſtatiu animaduertimus, quod bonorum comparationem quam maxime habeant neceſſariam; patet ergo vi §§. 12, 13, quod vxor ad eiusmodi onera ferenda pro parte ſua fit obligata. Quod ſi autem vxorum perpendimus conditionem, eam tam inuenimus, vt inde credere adducamur, eas ad bonorum acquisitionem ut plurimum eſſe incapaces 1). Hinc aut onera a ſolo ſunt ferenda marito, aut vxor alia ratione hanc obligationem adimplere debet: in priori caſu certe nimis dura redde- retur mariti conditio; hinc Itis Ciuite alium modum, quo vxor officio ſuo ſatisfacit, dotis nimirum illationem de- terminauit 2). In vxore igitur dotata eſſat obligatio,

bona acquirendi, onerum matrimonii ferendorum gratia. Sed quaeatur potro, quid in vxore indotata obtinere debat? (quotidiana enim nos docet experientia, non omnes vxores dotem marito conferre). Duo sese hic nobis offerunt casus, aut enim dotem sibi stipulari curavit maritus, aut non: ultimum casum in praefenti§. tantum sursum explicaturi. Per antecedentia patet, quod dotis illatio de Iure Ciuli modus sit, ex parte vxorum sese liberandi ab oneribus matrimonii ferendis, cum istae alia ratione hac in parte officii sui partes adimplere haut possint. Quod si igitur maritus dotis constitutionem haut vrgeat, huic iuri tacite renuncia esse censendum est, illudque exinde perit 3). Ex hisce nunc statuimus: *Quod vxor dotata immunis sit ab obligatione bona acquirendi: Indotata vero dotem minus promissa vtplurimum.*

Haut absque ratione indotatam haut indistincte liberamus ab hoc onere; praeumptionibus enim nititur assertio, queaque contrarium licet haut ordinarie admittunt. Casus enim etiam obuii sunt, quibus docemur, quod haut semper in vxoribus exulet acquirendi bona capacitas: quod si de hac marito ante initium matrimonium constet, tunc quoque asseri poterit, maritum respectu eius nullam exigisse dotem. Exemplum adesse puto in hominibus inferioris conditionis, qui talem vtplurimum bona acquirendi modum habent, in quo exercendo et vxorum diligentia idem valet ac maritorum; exinde quoque in praxi obtinere arbitror, vxores, ut maritis suis in acquirendo auxilio sint, in casu denegationis cogi posse: id quod in opificibus obtinebit, cum licet et quandam afferant dotem, intutu tamen onerum ferendorum exigua admodum est vtplurimum; ea igitur suadeant, ut circumstantiae, quae sese in casibus singularibus offerunt, probe ponderenur.

- 1) M.E.N. l.3 pr. 51 n.4.
- 2) l. 20 C. de Jur. dot.
- 3) L 14, 39 ff. de Adil. Ed.

## §. XVI.

## §. XVI.

In decisione quaestioneis, vtrum vxor marito teneatur bona acquirere onera coniugii ferendi gratia, vnum adhuc restat casus, a nobis dijudicandus, is nimurum, quo marito dos quidem fuit promissa, minime autem soluta. Ex antecedentibus b. L. repeatat, quod Ius Ciuale vxori obligacionem, onera simul cum marito ferendi, minime remiserit, sed potius hunc in finem dotis determinauerit illationem §. 15, licet marito haut interdixerit, ipso volente ea sola in se suscipere, dum matrimonium quoque sine dote esse possit 1). Ea accuratius considerando animaduertimus, praesenti in casu nullum adesse fundamentum, quo asseri possit vxoris immunitas ab huius generis oneribus, cum ob factam marito dotis illationis promissionem, nulla tacita ipsius adsit remissio. Exinde non video: *Cur vxor eiusmodi in casu non possit obligari ad acquisitionem bonorum 2).*

Non opus esse duco longius distingere, de quantitate bonorum ab vxore conferendorum; earum enim certe acquaestus haut tantus erit, vt onera matrimonii excedat; ultra enim vi §§. 12, 13 non tenetur: quod si vero casus eiusmodi existat rarissimus, tunc is arbitrio iudicis erit committendus ex ratione, quia legis vniuersalis decisio hic minime ex possibiliuum (sit veria vocabulo barbaro) erit numero 3). Matrimonii enim onera modo maiora, modo minora sunt, pro diversitate conditionis mariti, vt et pro numero sociorum matrimonii, neque ratione familiae. Interim, quia etiam in iis, que arbitrio committuntur iudicium, aequitas haut venit negligenda 4), iudex nunquam acquaestus partem ab vxore contribuendam conferendis a marito aequalem pronunciabit. Huius aequitatis haec est ratio, quia vxores, partim in generatione liberorum, partim in illorum educatione, quodsi illos praeципue ipsae lactent, plus operis impendunt, quam maritus. Hoc loco adhuc obseruandum, quod maritus vxorem exinde minime ad vulgares operas, quaeque infra ipsius sunt dignitatem, possit com-

B 3 pellere;

pellere; obligatio etenim semper paeſtruit actiones ſalua exiftimione noſtra poſſibiles, minimeque moraliter impoſſibiles admittit 5).

- 1) l. 28 ff. de Rel. et ſumt. fun. 2) GAIL. L.II. Obs. 87. 3) l. 12 ff. de Leg. 4) MEN. de Arbitr. Iud. Qu. 51 n. 7. 5) l. 35 §. 1 ff. de V.O.

### §. XVII.

Cum bona acquirendi gratia actiones ab vxoribus maritus exigere haut valeat per §. 15; eiusmodi vero actiones ex lucri intentione exhibeantur, appetat: *Actiones vxoris, quarum finis eſt lucri perceptio, minus obsequialibus annumerandas eſſe §. 11, hinc illis vxor ſibi acquirit.* Per ea autem, quae ad §. 15 anotauimus, item et §. 16 explicauimus, ſimil conſtat, quatenus etiam poſſint fieri obsequiales.

CARPZOVIVS, quiq[ue] ab eius ſtant partibus 1), in genere, quae conſtanſe matrimonio industria ac opera licet vxorum acquiruntur, mariti adſcribunt patrimonio; ſed ratio-nes, quibus ſuam ſuſſulcunt ſententiam, haut tanti ſunt ponderis, quo mihi conſenſum poſſint extorquere. Earum prima haec eſt, quia omnes mulieris actiones eſſent obſequiales; ſed ea ſtant corruſt iis conſideratis, quae in pro-xime antecedentibus §§. in medium protulimus. Allegant porro pro huic ſuae aſſertionis fundamento, onera matrimonii a marito ferenda; ſed ad ea attenti, quae §. 15 dicta ſunt, cognoscimus, quam lubricum hoc ſit argumen-tum. Porro quem nominauimus auctor putat, abſurdum exinde eſſe fecuturum, vnam nimirum familiam in duas abire; ſed conſequentia adeo deſtituitur ſua, quin potius separata eiusmodi honorum poſſeffio legibus haut fuerit interdicta 2).

- 1) P. III. Conſt. 25 def. 8, 10. 2) l. 8 C. de Paſt. conv.

### §. XVIII.

Operae artificiales cum ex lucri intentione fuſcipiantur, per §. pr. conſtat, hiſce vxores ſibi acquirere 1).

Quodſi ergo vxor perita ſit artis pingendi, texendi etc. ha-crum actionum quaefum ſibi retinere poterit.

- 2) BERL. l. 2 dec. 224 n. 42,

### §. XIX.

## §. XIX.

Mercaturam facere licitum esse quaestum, nemo, ut  
ego equidem arbitror, in dubium erit vocatus<sup>1)</sup>; hinc per  
§. 17 patet: Quod vxor mercatrix sibi, minime vero viro ac-  
quirat 2).

Secus sentientes nobis contrarium minime persuadent, dum  
existimant, ex omnibus vxoris bonis illatis fructus marito  
debere, et consequenter quoque earum rerum, quas vxor  
honeste quaesuit mercaturis faciendis 3). His etenim  
quoque concessis, paraphernalium emolumendum pro ad-  
ministratione in maritum redundant 4), quae administratio  
vero hoc in casu deficit. In lege praeterea allegata sermo  
est de bonis, quae vxor sub initium habuit matrimonii 5).

1) MARQY. de Iur. Merc. I. 1 c. 7 n. 8.

2) Id. l.c. c. 12 n. 18, 19.

3) CARPZ. Confl. all. defin. IO. HEG. P. I. Qu. 29 n. 12.

4) Land-Recht L. I. A. 31. 5) ZOB. Add. ad h. I.

## §. XX.

Vxor haut obligata est marito, bona ipsius industria ac-  
quisita huic relinquere §. 15. Quodsi igitur simul cum  
marito quaedam comparauerit, et hoc in casu, ea sibi vin-  
dicandi, ius omnino eam habere arbitror. Porro vero,  
quia per hypoth. maritus in illorum acquisitione concur-  
rit, ex eodem fundamento, quia nimirum sibi acquirit, ea  
patrimonio suo adscribere valet. Ex hisce satis appetet,  
circa horum bonorum appropriationem mariti atque vxo-  
ris idem esse ius. Hac ratione commoti statuimus: *Bona  
communi coniugum industria acquisita fieri communia* 1).

1) BARB. L. 3 C. 44 Ax. 2.

## §. XXI.

Vi§. praec. appetet: quod lucra ex communi coniugum  
industria prouenientia fiant communia, et exinde praesenti  
in casu communicatio asserenda erit lucri atque quaestus.  
Eiusmodi autem in casu societas adest 1). Hinc & hoc  
in

in casu societas inter coniuges contracta censenda 2), ea-  
que facita cum ipso facta, communiter nimirum facta ac-  
quisitione, contrahatur 3). Ex hisce sequitur: quod inter  
coniuges bona communi industria sibi comparantes tacite con-  
tracta sit societas 4).

Tacitam eiusmodi societatem inter coniuges nemo erit in  
dubitum vocaturus, perpendendo, quod collatio operarum,  
sive bonorum, atque perceptio lucrī exinde prouenientis,  
tales sint actus, qui sine nomine et iure societatis intelligi  
haut possunt. Ex ea igitur ratione indubie argumentamur  
ad societatem ipsam 5). Exemplum est in marito hospi-  
tium exercente, vbi vxores non minores fere quam mari-  
ti operas conferunt. Quæstio hic simul moueri potest,  
vtrum eadem quaestus quantitas cedat vxori, ac marito.  
Quod si societatis principiis inhaerere stricte velimus,  
invenimus lucrum uniuicuque coniugum cedens operis sive  
bonis collatis esse debere proportionatum 6). Ut autem  
id fieri possit, confitet, necesse est, quantitas operarum col-  
latarum: cum autem eius determinatio vt plurimum haut  
in nostra sita sit potestate; hinc quoque principiis socie-  
tatis exacte hoc in casu satisfacere haut poterimus: in-  
terim tamen, quia experientia certi efficiunt, quod in  
casu communiter factae acquisitionis vt plurimum coniuges  
eadem conferant operas, hinc quoque in casu dubio id  
erit credendum, et hinc aequaliter diuidenda erunt lucra.  
Quodsi tamen contrarium appareat, tunc aliud asseren-  
dum fore puto; quia haec autem in facto consistunt, cir-  
cumspecti iudicis arbitrio erunt committerea 7). Ex  
iisdem allegatis principiis quoque a quibusdam statutum  
aequitati conforme habetur, disponens, quod vxori tertia  
solummodo aquaestus debeatur pars, cum maritus plus  
operae conferat ordinarie 8).

1) COTNOFR. ad l. 4 ff. pro Soc. 2) MOZZ. de Contr. p. m. 518 n. 13.

3) MOZZ. d. l. 4) d. l. p. 524 n. 11. 5) MEN. l. 3 praef. 56 n. 25.

6) l. 6 l. 29 pr. ff. pro Soc. 7) MEN. prooem. n. 3, 4 de arb. Ind.

8) ESPACH. ad Carpz. S. 3 const. 25 d. 9.

## §. XXII.

Quodsi coniuges communis industria bona sibi comparauerint, tunc sociorum iura in illis veniunt concipienda per §. 21. Constat autem porro, quod societatis proprietas sit, ut in sociis adsit lucrum percipiendi intentio 1). Hinc patet, cur et praesenti in casu eiusmodi requiratur coniugum finis 2).

1) L. 5 §. 2 ff. pro Soc. 2) 1.32 §. 24 de Don. int. Vir. & Vxor.

## §. XXIII.

Quaeritur, vtrum vxor, marito mercatori in mercaturae exercitio auxilium exhibens, lucri prouenientis particeps fiat, annon? Constat per §. 21, quod eo in casu, si vxor simul cum marito bona acquirat, eaque fiant communia, societas necessario inter ipsos sit concipienda. Quodsi igitur ex aequa parte lucri particeps velit fieri, pro socia mercatrice esset habenda, id quod cum ex inscriptione librorum, litterarum intitulatione, obligatione, receptione, solutione &c. communi nomine facta concludatur 1), fieri ex hisce poterit quaestioni decisio, eritque affirmanda, vbi haec adiungit, neganda autem, vbi haec deficiunt.

Cum vxor minus obligata sit marito ad eiusmodi auxilium §. 10, 19, vt sibi nihilominus salarium quoddam maritus stipuletur, curare poterit.

1) CARP. L. V. REIP. 20. MARQ.V. de Iur. Merc. 1.2 c. II n. 4 seqq.

## §. XXIV.

Quod si vxor mariti emat pecunia, in decisione quaestioni, vtrum res emta ad illam spectet, au porius ad hunc? distinguendum erit, vtrum suo, an mariti emerit nomine; priori casu ad vxoris, posteriori autem ad mariti accedit dominium 1). Ratio haec est: Leges volunt, ut ius, ex contractibus descendens, ad eum spectet, cuius nomine contractus fuit celebratus 2), et hinc acquirenti suo nomine, aliena licet pecunia, adscribunt rei acquisitae dominium.

1) L. 6 C. Si quis alt. vel sibi. 2) 1.1, 1.8 C. d. t.

## §. XXV.

Vxor per antecedentia ius habet, aquaestum, proueni-

C entem

entem ex actionibus suis, et quidem minus obsequialibus, sibi refinendi, §. 11: constat porro, quod fauori, pro nobis introducto, valide renunciare possimus 1), nisi specialis id prohibeat dispositio 2). Hinc & *facultas renunciandi, acquiescui actionum minus obsequialium, uxori minime denegari poterit, nulla obstante speciali dispositione.* 3).

Probe mihi quidem constat, donationem inter coniuges esse legibus Civilibus interdictam 4): Sed quum ex fine huius dispositionis ea ab ipso legislatore ad casus sit restricta, quibus donatione deterior nostra redditur conditio 5). Hac lege igitur non obstante vera manet assertio. Dissertationis termini haut excedendi nobis impedimento sunt, quo minus vberiori calamo possimus explicare, quid circa hanc renunciationem sit obseruandum. Plura de hac materia lecturus euoluat allegatum tractatum HARPPRECITIL.  
 1) L. 51 C. de Episc. 2) BRVN. ad l. 29 C. de paet. 3) HARPPR. de Ren. Acqu. Coni. 4) l. 1 ff. de don. int. Vir. et Vxor. 5) L. 5. §. 13 d. t.

### §. XXVI.

*Actionum minus obsequialium emolumenitum vxoribus cedere, ex §. 11 et seqq. satis superque cognouimus: Spes autem eiusmodi lucri vxores facile inducere poterit, vt omne consumant tempus in acquirendis sibi bonis, vt pote quae vtpurimum avaritia sunt ardent, ac officia sua erga maritum negligant, ex qua deinde neglectione maritus in re sua domestica quam maximis afficeretur dannis. Id quod vero contra iuris sanioris esset principia, cum nemo alterius damno locupletior fieri debeat 1). Exinde erit afferendum: Quod vxor damna, sua acquisitione marito illata, reparare sit obstricta 2).*

1) L. 14 ff. de Cond. Indeb. 2) MOZZ. de Contr. t. de Soc. n. 12.

### §. XXVII.

Vxor damna afferens marito sibi acquirendo tenetur, ea reparare per §. pr. Ponamus igitur, quod ea ex pecunia mariti sibi quaedam comparauerit, tunc, quia ea sibi acquirit per §. 24, ablatione pecuniae mariti diminuit opes, atque consequenter illum damno quodam afficit; erit igitur ad illius reparationem obligata, id quod cum restitu-

tione

tione fiat ablatae pecuniae, sequitur, quod maritus ius habeat, ab vxore, sua acquirente pecunia, illam ab ea exigendi 1).

1) L. 6 C. Si quis alt. vel. §. 30.

### S. XXVIII.

Quod si vxor, vt bona sibi acquirat, actiones eiusmodi susciperet, quae falsa mariti existimatione et ipsius dignitate, in qua degit, admitti nequeunt, famam atque existimationem ipsius diminueret, et consequenter illum laederet; vxorum vero acquisitionis ab laesione immunis esse debet; Hinc fluit: *Quod maritus possit vxori interdicere, actiones existimationi suae contrarias lucri causa alias editas.*

Ita si maritus eminentiori gaudet dignitatis gradu, vxor autem velit cauponam instituere, maritus illud prohibere potest. In caeteris autem casibus, vbi nullum mariti subest praeciducium, neque ullum ius prohibendi illi adscribi posse nullus dubitabit.

### S. XXIX.

Ex §. II percepimus, quod ea bona, quae vxor citra respectum ad obsequiales operas sibi comparavit, ad illius spectent patrimonium. Ex quibus simul liquet, quod ab ipsius dependeat arbitrio, vtrum iis dotem augere velit 1), an non; illo casu dotalium numero 2), hoc vero in casu parapernalibus adscribenda veniunt 3).

1) L. 19 C. de don. propt. iuupt. 2) L. 26 §. 2 ff. de pact. dot.

3) L. 8 C. de Pact. Conv.

### S. XXX.

Vxores ordinarie ab eiusmodi abstinent operis, illarumque sunt ignarae, quibus in bonorum acquisitione opus habemus, vt quotidiana nos docet vitae consuetudo; ex ea igitur ratione bonorum comparatio in ipsarum raro sita est potestate, et cum insimul haut industriales praeclumantur 1), ea haut ordinarie adest. Maritus autem necessario tali adornatus esse debet industria, cum ad ipsius spectet officium per §§. 15, 16. Hinc apparet, quod ordinarie maritus, minime vero vxor, bona acquirat. Cum vero porro constet, ea, quae ordinarie eueniunt, esse prae sumenda 2),

C 2

satis

satis superque exinde quis erit intellecturus: *Quod bona, constante matrimonio acquisita, praesumuntur comparata mariti industria 3).*

- 1) MEN. L. 3 praeſ. 51 n. 4. 2) HEIN. Elem. I. C. P. IV. §. 117.  
3) WEHN. Obſ. Pr. Voc. Rauhe Wurgel.

### §. XXXI.

Ex §. pr. intelleximus, quod acquisitionis bonorum in vxoribus minime praesumatur, quodsi porro eae haut aliunde bonis sint instructae, ea siue donationis titulo habeat necesse est, siue illico plane modo. Ponamus nunc casum, quod vxor bona quaedam acquisuerit, minime autem constet, ynde habeat ea, quibus huius acquisitionis intuitu opus habuit; tunc credamus necesse est, ea siue donationis ope, siue illico modo, aut ex bonis mariti, in vxorem redundasse. Quod ad donationem attinet, illa haut erit praesumenda, quotiescumque alia sumi poterit conjectura 1), imo ea in honeste factae donationis aliquam induceret suspicionem 2); hinc appetat, quod, nisi turpitudinis atque delicti induci debeat praesumtio, ex bonis mariti factam fuisse acquisitionem erit existimandum. Quam autem porro Leges recte afferant, quod omnis delicti evitanda sit praesumtio 3): Hinc quoque hac commotus ratione Legislator voluit, vt hoc in casu potius afferamus: *Bona ab uxore, opibus aliunde haut instructa, ex mariti patrimonio fuisse acquisita praesumuntur 4).*

1) MENOCH. de Arbitr. iudic. queſt. L. 2 cas. 88.

2) PLAVT. in Caſſina. 3) L. 51 ff. pro Socio.

4) L. 51 ff. de donat. int. Vir. et Vxor I. 6 C. eodem.

### §. XXXII.

Ratio, qua commotus legislator dispositus, vt vxor acquirens praesumatur ex bonis mariti acquirere, fuit turpis quaeſtus ſuspicio §. pr. cum, quod aliunde habeat bona ad hunc finem necessaria, minime credi poffit; eiusmodi dispositio- nis cauſa in casu obtinere arbitror, vbi vxor bonis aliunde minime instructa, exinde quoque hanc adieciimus determi- nationem; aliam autem dum huic ſubſtituimus, atque ponim-

ponimus, quod constet, quod vxor bonis fuerit instructa; tunc dispositionis huius ratio cessabit, ut quilibet faciliter erit intellecturus negotio: nunc autem probe constat, quod cessante legis ratione, ipsius pereat vigor 1), hinc aliud nunc erit statuendum, nimirum: *Quod vxor, de qua constat, quod bonis fuerit hanc defituta, minime ex bonis presumatur acquisuisse mariti, sed potius propriis 2).*

Hoc in casu alia redit causa, quae facit, ut aliud obtineat, haec nimirum: quod pecunia soluta soluentis fuisse credatur 3). Ex hisce, quae hoc in medium protulimus §. clarum est atque perspicuum, quod in casibus obuenientibus, eorumque decisio ne, ad vxoris fit attendendum conditionem, vtrum nimirum bonis acquisitionis tempore fuerit instructa, annon; quodsi prius, tunc presumatio haec obtinebit, exinde si constet, mulierem fuisse diuitem atque viro nupfisse pauperi, item a consanguineo accepisse, et sic porro a praesumptione §. praecl. allata erit immunitis 4). Quodsi vero illud haut certum, sed potius adhuc dubium sit, tunc quoque ea omnia non creduntur, dum neque bonorum acquisitionis, neque eorum illatio, tanquam res facti, praesumptionibus sint annumerandae.

1) TIT. I. Ptu. L. 1 C. 17. §. 27. 2) PETR. DVEN. Reg. Iur. Voc. Vxor.

3) l. 2 C. pro Soc. 4) RICHT. Conf. 186 vol. 2.

### §. XXXIII.

Ex §. 31 cognouimus, praesumptionem ibi explicatam turpas quaestus suspicionem evitandi causa fuisse introductam, hac ergo cessante haec simul cessabit praesumptio 1). Ponamus igitur casum, quod mulier fit perita artificii cuiusdam, insimulque eiusmodi exhibeat diligentiam, vt verisimiliter exinde bona sibi comparauerit; tunc huius legis dispositio robur suum amitteret, exinde sum persuasissimus:

*Mulierem ita industriosam vt verisimile sit, eam bona sibi comparasse, non praefumi ex bonis acquisuisse mariti 2).*

Casus adeo in mali re obsterrice, item quodsi artificium quoddam cognitum illi sit.

1) l. 6 §. 2 de Iur. Patron. 2) M V N S. obs. 92 Cent. 2.

## §. XXXIV.

*Vxor bona sibi sola possidens cum animo dominii, hac sua possessione immunis redditur a demonstratione, unde ea habeat 1), dum maritus contrarium allegans probare potius sit obligatus, ea sua esse; ob cestantem rationem ergo legis 2) hoc in casu pro muliere militabit praesumtio 3).*

1) l. 14 ff. de prob. 2) l. 51 ff. de don. int. Vir. et Vxor.

3) M.E.N. L. 3 pr. 51 n. 44. REIH. Thes. Iur. Voc. Vxor. n. 10.

## §. XXXV.

*Quodsi vxor bona simul cum marito possideat, dubium est, utrum ea mariti nomine, an suo potius possideat, et ad cuius ea spectent dominium, ex §. 30 vero satis patet, quod bona in casu dubio mariti esse praesumantur: bona ergo, quae vxor simul cum marito possidet, ipsius esse, minime praesumitur 1).*

1) M.E.N. l. c. n. 45.

## §. XXXVI.

*Ex §§. 34, 35 liquet: quod bona ciuiliter possidens 1) non praesumatur ex bonis mariti acquisitionisfe vxor, ea vero naturaliter possidens 2) omnino.*

1) D. C R A M. diff. de Imposs. poss. in diem Trad. Symb. 31. 2) l. c. §. 30.

## §. XXXVII.

*Quodsi ea, quae a §. 35 seqq. explicauimus, attenta mente erimus consideraturi, inueniemus, praesumptiones ibi reccensitas eiusmodi generis esse, quae auctoritate legum sunt munitae, atque tamdiu pro veritate habentur ciuili, donec de alio constet: cum autem haec praesumptionis iuris constituent notas 1), hinc patet, quod praesumptiones antecedentibus enumeratae pro praesumptionibus iuris sint habendae 2).*

1) M.E.N. de pr. l. 1 qu. 4. 2) l. c. l. 5 pr. 51 n. 2.

## §. XXXVIII.

*Quodsi mulier afferat, bona a se fuisse acquista, ipsius assertio praesumptioni contrariatur per §. 30, et quidem iuris per §. 31, quae cum probationem contrariai admittat 1), eamque illi iniungat, contra quem militat 2), patet: *Quod mulier, dicens bona a se fuisse comparata, id probare posse ac debet 3).**

1) EVERARD.

1) EVERARD. Loc. Arg. Leg. a Veris. n. 19.

2) PACIAN. de Prob. L. I. C. VIII. 3) BERG. P. I. Resp. 91.

### §. XXXIX.

Ratio, quae mouit legislatorem, ut introduceret praesumtionem §. 30 contentam, erat evitanda turpis quaestus suspicio, quae ut plurimum oriretur, quando quoquis in casu demonstrari debeat, unde bona ad vxorem peruererint; ex his simul liquet, omnem eiusmodi probationem reprobari a legibus, quae in turpi est fundata facto: *Mulieri ergo probaturae, bona a se fuisse comparata, in hac sua probatione, turpe factum allegare, hanc permisum 1).*

Generalia probationis principia idem volunt; iis enim convenienter nulla probatio cum probantis turpitudine coniuncta in foro potest admitti 2).

1) L. 6 C. de Don. int. Vir. et Vxor.

2) L. 5 C. de Seru. pign. dat. L. 30 C. de Transact.

### §. XL.

Quodsi mulier legitime probauerit, quod bonis fuerit instructa tunc, quam fuerit facta ab ea acquisitio, tunc constat, mulierem acquirentem haut esse destitutam bonis, id vero cum appareat, praesumtio, ex bonis mariti factam fuisse acquisitionem, cessat per §. 32, consequenter: *Mulier probando, se bonis fuisse instruam acquisitionis tempore, ab ulteriori probatione esse liberat 1).*

Ea est ratio cautelae a quibusdam traditae 2), quod efficere nimurum debeat mulier, ut unus ex consanguineis sibi det pecuniam quibusdam praesentibus, quam ipsi clam ante dedit, ut inde emat. Sed eiusmodi generis cautelas, nequitius prauorum Aduocatorum annumerandas, minime suaderim.

1) MEN. L. 31 pr. 51. 2) CAEP. Caut. 199.

### §. XLI.

Quaestio circa hanc probationis materiam moueri potest: utrum ipsius mariti confessione vxor tanquam argumento uti possit? In huius decisione neque affirmantes absolute, neque negantes esse possumus, sed quedam hic veniunt antea notanda, et exinde determinanda. Prove constat, quod donationes inter virum et vxorem legibus sint prohibite

bitae 1), et exinde negotium, quo eiusmodi inducitur donatio, inualidum est. Ponamus ergo, quod confessio mariti ab ipso fiat animo donandi, tunc pro valida minime haberi poterit, hinc afferunt Doctores, quod confessio mariti acceptas dotis 2), et ob identitatem rationis paraphernalium existentiam 3), omni donandi animo libera esse debet. Sunt vero bona acquista vel dotalia, vel paraphernalia §. 31. Hinc videmus: *Quod animus donandi cessare debet in confessione mariti, bona a muliere fuisse acquista.*

Exinde apparet, quod maritus suam confessionem revocare poterit, minimeque exinde quedam elicienda sit obligatio: quodsi autem maritus diem obiret supremum, antequam id fuerit factum, tunc quodsi quoque animus in eo fuerit donandi, nihilominus valebit; morte enim minuta seu portius m. c. facta donatio subsistit 4), et hinc hoc in casu contra heredes argumenti loco esse poterit.

1) L. 1 ff. de Don. int. Vir. et Vxor. 2) MEN. L. 3 praef. 12 n. 37.

3) LUDWIGS Cong. Proc. Cap. 5. 4) L. 2 C. de Dot. caut. non num.

#### §. XLII.

Confessionem a marito, animo factam alios circumveniendi, nullum habere posse valorem, inter omnes constat 1), et exinde aliis ista sua confessione minime poterit quoddam adferre praecidicium. Ex hisce apparet, quod confessio tali animo facta nil poterit efficere, eaque est ratio, cur eius *confessio, bona fuisse acquista ab uxore, omni carere debeat praeassumptione latenter donis.*

Quod hoc in casu contra tertium haec facta confessio nil operari posse, id certum, sed nun contra maritum idem sit statuendum, dubito, cum hoc in casu allegatio eiusmodi circumstantiae ipsius turpitudinem appeararet, id quod probanti minime permissum erit 2).

1) GAIL. L. 2 Obs. 81. 2) MEN. L. 3 pr. 12 n. 31.

#### §. XLIII.

Mariti confessio, bona ab uxore fuisse acquista, si valida esse debet, animi donandi, aliosque circumveniendi, suspicionem nullam iniiciat, necesse est §§. 41, 42.

#### §. XLIV.

Quodsi lis moneatur de bonis constante matrimonio acquisitis, atque uxor quidem probauerit, bona a se fuisse acquista, eorum quantitatem autem non expresserit, hincque ex Actis ea minima appareat, tunc in sententia secutura nulla exprimiri poterit eorum quantitas, eaque exinde esset minus certa etasura 1): Cum autem sententia, eiusmodi laborans vitiis, inutilis sit reputanda, omnique careat rei iudiciale effectu 2), insimil clarum est atque perficuum: *Quod viror probans, bona a se fuisse acquista, eorum quantitatam quoque claram iudicii reddere debeat 3).*

1) L. 4 C. de Sent. quae fin. cerr. 2) L. 3 C. d. r. 3) BERG. Resp. P. I. fol. 310.





**ULB Halle**  
003 850 080


3



*Sb*



**Farbkarte #13**



**B.I.G.**

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
**ACQVAESTV VXORVM**  
—  
QVAM  
**ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS**  
**CONSENSV**  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CONSEQUENDI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SISTIT  
**M. CHRISTIANVS GOTTOFREDVS**  
**WEIDLICHIVS**  
ADV. IMMATR. SAXON. ET GERAV.

DIE XIV. SEPT. 1610

LIPSIAE, LITTERIS GEORGII SAALBACHIL.

*bonis constanti matrino arguitur*